PROP. 8. noua accessione aliorum; vitam suam possidet totam simul perfectissimam, & perfectissime; quia integre, vt dixi; id est, & inamissibiliter, & sine noua possibili alicuius ad se intrinsece pertinentis acquisitione.

Probatur iam propositio. Quia enim *e* per mensuram intelligimus quantitatem quandam nobis secundum proprias dimensiones cognitam, ex cuius siue vnica siue multiplici applicatione deuenimus in cognitionem quantitatis alterius nobis ignotæ; si æternitas tempore mensuretur; necesse est in primis, vt distincte ac determinate nouerimus quantitatem temporis assumpti pro mensura actiua: vt vero eam certo nouerimus, necesse est finitam esse; quippe infinitam finitus intellectus non clauderet sua sphæra intellectiuæ virtutis. Deinde etiam necesse est, vt hoc tempus finitum pluries repetita ad æternitatem applicatione eidem adæquetur; alias per illud non cognosceretur quantitas æternitatis. At impossibile est vt finitum infinito applicatum eidem adæquetur (alias infinitum non esset infinitum) nisi infinities facta & repetita applicatione: sed eam nec infinities facere vnquam poterit finitus intellectus; nec si faceret, propterea cognosceret distincte multitudinem infinitam applicationum, hoc ipso quod illa infinita est, ipse vero finitus: ergo multo minus cognosceret quantitatem infiniti cui infinities quantitatem finitam applicuisset: ergo impossibile est æternitatem tempore mensurari, sicut & vlna lineam vtrinque infinite extensam.

2 o Quare nõ possit æternitas mensurari tempore?

Fateor quidem in ipsa æternitate præsertim participata, vtpote ab extrinseco saltem, defectibili, posse sumi terminos extrinsecos vt dixi de ævo prop. præcedenti, & ita mensurari eam æternitatis extensionem per accidens, quæ est inter eos terminos; sed id non erit mensurari totam æternitatis extensionem, siue à parte post, siue à parte ante; sicut ibidem dixi de ævo, & multo minus totam adæquate: sed solum erit mensurari aliquid extensionis, quo licet cognito manet semper ignotum, quantum residuum sit à parte ante, & quantum à parte post. Adeoque prorsus impossibile est æternitatem tempore mensurari, vt fuit propositum.



CAPVT